

abtolvere, & dispensare possit, ut in suo monasterio maneat.

5^{to} pœnæ simoniæ confidentialis completæ per acceptionem beneficii, quamvis ex alterâ parte nondum datum sit pretium ex constitutione Pii IV. quæ incipit Romanum & est 85^a tom. 2. Bullarii & S. Pii V. quæ incipit: intolerabilis & est 85^a ejusdem Pontificis tom. 2. Bullarii, sunt: 1^{mo} Episcopi & Prælati superiores incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, inferiores quicunque excommunicationem Papæ reservatam. 2^{do} resignatio vel collatio beneficii interveniente simoniâ confidentiali facta est invalida & renuntians est inhabilis ad idem beneficium obtinendum. 3^{to} Simoniaci confidentiales post sententiam Judicis declaratoriam privantur omnibus beneficiis & pensionibus Ecclesiasticis ante obtentis. 4^{to} beneficia per simoniacam confidentiam obtenta cum suis fructibus sunt Sedi Apostolicæ reservata; quoad hanc tamen reservationem attendenda sunt concordata, quæ solent singulæ Nationes habere cum Sede Apostolicâ.

DISPUTATIO XL.

De mendacio & simulatione.

HActenus cum Angelico Doctore Religionem ac Religioni opposita vitia exposuimus. Pergit deinceps alias potentiales justitiæ partes per aliquot quæstiones examinare, in quibus minor est difficultas; sunt autem hæc virtutes Justitiæ imperfectam rationem participantem, hinc Justitiæ dicuntur annexæ videlicet:

Pietas est virtus, quâ Parentibus & patriæ tanquam vitæ nostræ post Deum authoribus officium & cultum tribuimus. Et quia consanguinei nobiscum eisdem vel proximos vel remotos Parentes habent, & patrio-

tæ

æ eandem patriam extenditur ad consanguineos & conterraneos. Hinc pietas est virtus specialis, quia respicit reverentiam tum internam tum externam, quæ in obsequiorum exhibitione consistit, debitam titulo originis, unde quia strictior est titulus, quo homo Parenti & patriæ tanquam causis essendi obstringitur, debitum pietatis non cedit ulli debito justitiæ erga alterum hominem contrahendo.

Observantia est virtus specialis inclinans ad exhibendum cultum & honorem hominibus in dignitate constitutis eorum dignitati correspondentem; & quia honor est testimonium excellentiæ, non tantum versatur observantia circà superiores, qui jurisdictione vel gubernativa dignitate præsumt, sed circà omnes, qui quovis modo excellunt v.g. beatitudine, scientiâ, virtute, unde & æqualium datur observantia juxtà illud Rom. 12. v. 10. *Honore invicem prævenientes*; assignat autem S. Th. hic Q. 103. & 104. duas observantiæ species *duliam*: quæ exhibet cultum & honorem, quod nomen tamen à sacris scriptoribus modò communiter adhibetur ad significandam virtutem, quâ Sanctis cum Christo regnantibus religiosum cultum deferimus; & *obedientiam*: quâ quis superiori se subjicit ejus præceptum formaliter, quâ tale implendo, quæ proinde est virtus specialis: quia respicit objectum speciale videlicet conformitatem actûs cum voluntate superioris per præceptum vel expressum vel tacitum manifestata. Porro hæc obedientia circumscribitur limitibus potestatis præceptivæ, ut eousque se extendat, quousque subiectio extenditur. Obedientiæ opponitur speciale vitium: *inobedientia*, quæ si sit materialis consistens in cujuscunque præcepti transgressione vel omissione absque contemptu, est conditio generalis cujuslibet peccati & est gravis vel levis pro diversitate materiæ; si sit formalis, quæ est *inobedientia* strictè accepta, quâ

transgreditur quis præceptum superioris ex contemptu præcepti, est speciale peccatum, ac si sit absoluta, ut renuat in quâcunque materia subdi superiori semper est peccatum mortale; quia directè tendit contrâ superioritatem; si verò sit respectiva ut renuat subdi tantum in hâc vel illâ particulari materia, admittit parvitatem materiæ; quia non est perfectus contemptus superioris aut directè contrâ superioritatem sed cum respectu ad hanc materiam.

Gratia sive gratitudo est virtus, quâ debitum reddimus illis, qui gratis nobis aliquod beneficium conferunt: cujus actus est habere gratiam, agere gratias, & referre gratiam, qui veluti tres sunt gratitudinis gradus: primus: esse beneficii memorem. Secundus: illud exterius declarare, benefactorem laudando, eique gratias agendo. Tertius reciproca beneficia & obsequia præstare. Huic opponitur *ingratitude*, quæ est vitium speciale, si sit formalis, quâ beneficium contemnitur, & benefactor ejusque animus despicitur, quasi non mereatur gratiarum actionem, aut ob beneficium velut non æstimandum ei beneficiatus non debeat esse obnoxius.

Vindicatio est virtus, quâ secundum omnes circumstantias debita in ulciscendo malum, quo quis læsit aut conatus est lædere, mensura servatur.

Amicitia sive *affabilitas* est virtus, quâ quis se decenter habet ad alios in convictu & communi vita tam in dictis quam in factis: ita ut neminem offendat, & vicissim aliorum dicta & facta sine offensione admittat; huic opponitur *adulatio* per excessum; quia quærit alium delectare vel alteri placere ubi & quando non debet. Per defectum *litigium* sive *morositas*; vitium quo quis se difficilem præbet aliis in conversatione nihil curans, an alios contristet, aut suo commodo inordinatè studens, ut alios contristet. Est per se loquendo

vitium pejus adulatione cum magis opponatur amicitiae, quae principaliter tendit ad delectandum, quam ad contristandum.

Liberalitas non prout supra ad temperantiam reduta est & moderatur affectum circa temporalia, sed prout circa ea, quae ad alium sunt versatur, quae quis pecuniâ aliisque rebus externis utitur tum in ordine ad se tum in ordine ad alios secundum rectae rationis praescriptum; estque haec virtus media inter duo vitia opposita unum per defectum, quod est *avaritia* & aliud per excessum, quod est *prodigalitas*.

Aequitas sive *Epikheia* est virtus quae legem in benigniorem partem interpretando moderatur; haec bonum publicum ut praeter verbale legis promovendum intendit, quod est objectum speciale, unde est virtus specialis.

Denique *veritas* non prout alibi sumitur pro conformitate intellectus cum re cognita vel signi cum re signata, sic enim non virtus, sed potius objectum vel finis est virtutis, sed prout idem est ac veracitas, qua aliquis verum dicit, & hoc modo virtus est: cum faciat bonum habentem ejusque opus bonum reddat, describitur autem à S. Th. hic Q. 109. A. 3. ad 3. *Qua aliquis in vita & sermone talem se demonstrat, qualis est, & non alia, quam circa ipsum sint; nec majora, nec minor;* ex quibus haec dari potest veritatis definitio: virtus specialis, per quam homo exteriora sua seu verba seu facta seu signa debito ordine disponit, dicitur virtus, quia disponit ad actum bonum, etiam est virtus specialis: quia versatur circa specialem honestatem, quae est in hoc, quod quis in debitis circumstantiis talia verba vel facta edat, quae designent, quid sit in ipso vel circa ipsum. Dicitur etiam haec virtus simplicitas, secundum quod non tendit in diversa unum habens in animo & aliud ostendens in verbo vel facto, & dicitur veritas secundum quod exteriora

nostra vel verba vel facta debite ordinantur ad aliquod significandum, cui conformia sunt, quod autem veritas sit pars potentialis iustitiæ patet: quia licet conveniat cum iustitia in hoc, quod sit ad alterum, & quod constituat æqualitatem signi cum signato, tamen non respicit debitum strictum sive legale, sed tantum morale, in quantum scilicet ex honestate naturali unus homo debet alteri in debitis circumstantiis veritatis manifestationem, sine quâ omnis humani convictus societas, omnisque conversatio è medio tolleretur. De vitiis huic virtuti oppositis sit

QUÆSTIO I.

De mendacio.

S Aug. librum de mendacio ad consentium tom. 4. ita orditur. *Magna questio est de mendacio, quæ nos in ipsis quotidianis actibus nostris sæpè conturbat: ne aut temerè accusemus mendacium, quod non est mendacium, aut arbitremur aliquando esse mentientium honesto quodam & officioso ac misericordi mendacio.* Idem S. P. lib. contra mendac. cap. 12. ita illud describit: *mendacium est falsa significatio cum voluntate fallendi pro cuius intelligentia*

Nota: quod tripliciter intervenire possit falsitas in mendacio scilicet materialiter, formaliter, & effectivè, falsitas materialiter se habet in mendacio, quatenus enuntiatur falsum, & hæc falsitas non constituit mendacium juxta præcit. S. Aug. l. de mendac. cap. 3. Non enim omnis, qui falsum dicit, mentitur, si credit, aut opinatur verum esse, quod dicit: formaliter intervenit falsitas, quatenus est intentio enuntiandi falsum; effectivè denique intercedit falsitas, in quantum est intentio alteri imprimendi falsum; ratio mendacii sumitur à formali falsitate: id est: à voluntate enuntiandi falsum, vocatur enim mendacium quasi contra

men-

mentem. Effectiva verò falsitas non pertinet ad essentiam mendacii sed est quoddam complementum & effectus ex mendacio proveniens.

DICO I. *Omne mendacium est peccatum.* S. Th. hic Q. 110. A. 3. O.

Probatur : quod est intrinsecè malum semper est peccatum, ità ut nulla circumstantia cohonestari possit; sed mendacium est intrinsecè malum : quia est contrà rectam rationem, quæ dicitur ut verbis & signis utamur ad eum finem, ad quem sunt instituta & non contrà illum finem, ut fit in mendacio, quo quis loquitur contrà mentem sive in re dicat falsum, sive verum; cum voces sint institutæ ad significandum hoc, quod quis habet in mente; mendax verò utitur vocibus ad significandum aliquid, quod non habet in mente, ergo mendacium omne & semper est peccatum: quia nulla circumstantia efficere potest, ut non sit contrà naturam uti vocibus aliter ac sunt institutæ.

Prohibet etiam sacra Scriptura omne mendacium Exod. 23. v. 7. *Mendacium fugies.* Eccl. 7. v. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium est.* Joan. 2. v. 21. *Omne mendacium ex veritate non est.* S. Aug. etiam citatos duos libros edidit occasione quorundam Catholicorum, qui ut priscillianitas negando & pejerando sese occultantes detegere possent. putabant se posse mentiri, contrà quorum errorem accuratè in illis probavit nunquam licitum esse mendacium. Et Alex. III. in cap. super eo 4. de usur. lib. 5. tit. 19. Etiam pro alterius vitâ prohibente sacra Scriptura illicitum asserit esse mendacium.

Obj. I. Plura leguntur Sanctorum mendacia utpote Elifæi 4. Reg. 6. dum militibus Regis Syriæ ad ipsum comprehendendum missis dixit *non est hac via, neque ista est civitas*, cum tamen reverà essent in viâ, quâ volebant tendere; deinde Abraham de uxore di-

cens esse sororem suam, Jacob dicens se esse Esau; Judith dicens Holoferni se eum esse per Civitatem obsessam ducturam, quæ tamen valde in sacrâ Scripturâ laudatur.

R. S. Th. Q. 110. A. 3. ad 3. *Dicendum: quod in S. Scriptura ut Augustinus dicit, inducuntur aliquorum gesta quasi exempla perfectæ virtutis, de quibus non est existimandum eos fuisse mentitos, si quæ tamen in eorum dictis appareant, quæ mendacia videantur, intelligendum est ea figuratim & prophetice dicta esse, ex quo Elisæus non falsum sed verum dixit, quia militibus cæcitare percussis non ea quæ incedebant, via, & Civitas, quam inquirebant, sed alia prorsus representabatur, sicut ipse Elisæus cum eis loquens eorum conspectui non erat præsens. Abraham celabat veritatem dicendo Saram esse sororem suam, quia verè erat filia patris ejus & non matris ejus. Jacob erat Esau non in Persona sed quoad Jus primogenituræ. Subjungit autem S. Doctor *Quidam verò commendantur in Scripturâ non propter perfectam virtutem, sed propter quandam virtutis indolem, scilicet, quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad quedam indebite facienda; & hoc modo Judith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro quâ periculis se exposuit, quamvis etiam dici possit, quod verba ejus veritatem habent secundum aliquem mysticum intellectum.**

Obj. 2. Propter bonum commune licitum est occidere; ergo etiam aliquando licet mentiri ob bonum commune.

R. *Negando consequentiam: quia potest autoritate publica fieri occisio hominis licita, cum possit inordinatio, quæ est in occisione hominis, per circumstan-*
tias

etiam tolli, sed inordinatio, quæ est in mendacio nulla circumstantia adveniente tolli potest.

DICO 2. *Aggravat culpam mendacii, si aliquis per mendacium intendat alterius nocumentum quod vocatur mendacium perniciosum. Diminuitur autem culpa mendacii, si ordinetur ad aliquod bonum vel delectabile, & sic est mendacium iocosum, vel utile, & sic est mendacium officiosum. S. Th. hic Q. 110. A. 2. O.*

Conclusio per se patet & continet divisionem mendacii ex parte finis ad quem ordinatur & ex parte culpæ, quam inde mendacium contrahit: quæ culpa in duobus posterioribus est per se loquendo tantum venialis: quia quod non contrariatur charitati, per quam anima vivit Deo conjuncta, non est peccatum mortale; sed posteriora duo mendacia non contrariantur charitati: quia per illa generatur in proximo falsa opinio circa rem indifferentem, de quâ non refert, qualiter se habeat; primum verò mendacium, ex quo sequitur damnum proximi, in materia gravi est peccatum mortale: quia repugnat charitati; eodem modo, si quodcunque mendacium involvat contradictionem cum altera virtute, ut si diceretur aliquid falsum circa res divinas, harum veritatem vel occultando vel corrumpendo, opponeretur mendacium fidei & Religioni, vel si ratione finis intenti contrarietur charitati: ut si proferatur ad Deum injuria afficiendum, tunc mendacium esset peccatum mortale, uti etiam ratione scandalii mendacium iocosum vel officiosum potest esse grave peccatum non in linea mendacii sive ratione oppositionis quam habet cum veritate, sed ratione oppositionis cum aliis virtutibus.

Obj. Omne mendacium est peccatum mortale: tum quia in Ps. 5, v. 7, generaliter dicitur: *perdes omnes*

qui loquuntur mendacium, quem textum S. Aug. lib. de mendac. extendi vult ad omne mendacium tum quia S. Aug. lib. cont. mendac. cap. 6. velut grave peccatum insectatur, si quis mentiatur pro conversione hæreticorum.

R. ad 1. Quod Textus Psalmi intelligendus sit de mendaciis perniciosis aut si de aliis mendaciis explicandus sit, exponi potest de quocunque nocumento animæ illato, quale nocumentum etiam infert peccatum veniale. ad 2. S. Aug. loc. cit. non de quocunque mendacio agit, sed de tali mendacio, quo quis ad reducidos hæreticos simularet hæresin. Ut constat ex illis verbis: *An Christum coram hominibus non negat, qui eum coram priscillianistis negat, ut eos latentes blasphemio mendacio nudet & capiat.*

Q U Æ S T I O II.

De restrictione mentali.

DICO. Veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam quod habet apud se S. Th. hic Q. III. A. 1. in O. Ex quo textu eruitur: illicitum esse uti restrictione purè mentali.

Explicatur & probatur Conclusio: uti restrictione purè mentali est loqui aliter ac in mente habetur, quod ex nullis circumstantiis exterius cognosci potest, atqui hoc est illicitum: est enim formaliter mentiri, cum aliud ore proferatur aliud mente teneatur.

Obj. Qui vult significare illud, quod mente tenet, non loquitur contra mentem; atqui qui utitur restrictione purè mentali, vult significare illud, quod mente tenet: quia vult per signa indicare illud, quod significant, secundum quod per intentionem restringuntur.

R. Distinguendo maj. qui vult significare illud secundum institutionem communem vocum, quod men-

mente tenet, non loquitur contra mentem. Con-
 contra communem vocum institutionem N. simili-
 liter distinguitur Mi. licet ergo is, qui utitur re-
 strictione, velit uti voce restrictâ ad significandum
 illud, quod habet in mente, illud tamen nec ex
 communi vocum institutione, nec ex circumstantiis
 in quibus vocibus utitur, ab audiente percipi po-
 test, unde utitur vocibus significantibus audienti
 aliud, quod non habet in mente.

Unde similes restrictiones reverâ sunt mendacia,
 quæ in his & similibus casibus occurrunt: si quis benè
 pransus dicat: hodiè nihil comedi: intelligendo nihil
 carniûm, si quis bene potus dicat: non bibi, intelligen-
 do vinum talis crescentiæ. Qui lusit vel alium occidit
 si dicat: non lusi, intelligendo aleis, non occidi: intelli-
 gendo: gladio, si quis, qui hodie non recitavit horas
 canonicas dicat: recitavi, intelligendo heri vel pe-
 rendinâ die, si quis interrogatus an non fuerit in
 certo loco cum tali socio, absolutè respondeat non
 fui, subintelligendo talem circumstantiam cum quâ
 non fuit, quam interrogans ex modo respondendi
 conijcere non potest, qui jurat vel sine animo ju-
 randi vel cum restrictione ad aliud diversum ab illo
 super quo jurare putatur, item qui absolutè alteri
 aliquid promittit, vel cum eo contrahit sine inten-
 tione se obligandi, aut sine proposito exequendi,
 aut subintelligendo certam conditionem, de quâ
 alius non potest cogitare, nam qui hæc & his simi-
 lia dicit, sive dicat illa rogatus sive sponte, sive jo-
 ci causa sive quocunque alio fine, verè mentitur,
 & si istis cum restrictione mentali dictis etiam adda-
 tur Juramentum, perjurus est & quidem perjurio-
 tali, quod (nisi ratione subreptionis aut adverte-
 tiæ plenz defectu à gravitate excusetur) ob parvita-
 tem materiæ à mortali excusari non potest, de quo

suprà. Undè Innocentius XI. damnavit meritò hanc propositionem 24. *vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem, item hanc 25. cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

Q U Æ S T I O III.

De Amphibologia.

DICO Innaturale est & indebitum, quod aliquis voce significet id, quod non habet in mente S. Th. hic Q. 110. A. 3. in O.

Explicatur : Sicut restrictione purè mentali restrictis ad significandum illud, quod de se ex communi institutione non significant, vocibus non licet uti, quia est reverà mentiri, ità non licet uti verbis amphibologicis seu æquivocis, id est talibus quæ ambiguum habent etiam ex impositione significationem, si in eo sensu proferantur, qui ab auditoribus adverti nequeat. *Ratio est* : quia talis amphibologica locutio est reverà mendacium : est enim falsa locutio in circumstantia, quâ profertur, & secundum intentionem interpretativam proferentis falsum sensum generans, quod est intrinsecè malum, adeoque nullo fine bono cohonestabile, tales æquivocationes sunt v. g. si interrogatus an non fuerit locutus cum persona alterius sexûs, utatur verbo : *cognoscendi volens* ab alio intelligi cognitionem carnalem, & volens significare simplicem notitiam. Si minister Justitiæ missus ad insequendum furem, postea ab ipso per pecuniam corruptus dicat Judici se ipsum non offendisse, intelligens ipsum à se non fuisse offensum, & volens ab alio intelligi, quod eum non invenerit. Si quis OEnopola propter lucrum etiam justum dicat vinum esse ex certo loco, quia etiam in cellâ suâ
habet

merito ha-
 em menda-
 iam velur
 cum cau-
 res si-ten-

quid aliq-
 in mente S.

tali restri-
 commu-
 non licet
 uti verbis
 alibus qua-
 gnificatio-
 uditoribus
 ibologica
 illa locu-
 eundum
 lum sen-
 n, adeo-
 equivoca-
 rit locutus
 o cognos-
 n carnalem
 Si minime
 vobis ab ip-
 e ipsam non
 se ostendit
 an invenit
 istum dicat
 in cella sua
 habet

habet locum istius nominis. Si quis fecit furtum, &
 interrogatus an id fecerit dicat: dico: quod non fe-
 ci: sumendo illa verba in suppositione materiali,
 adeoque affirmans tantum se dicere illa verba,
 quod non, non quod non fecerit, hæc & similia
 edicere ex intentione alterum decipiendi nemo ex
 quacunque causa potest, quod ex damnatione se-
 quentium propositionum confirmatur; 26. ab Inno-
 cent. XI. damnata est hæc: *Si quis vel solus vel con-*
ram aliis sive interrogatus sive propria sponte, sive re-
creationis causa sive quocunque alio sine iuret se aliquid
non fecisse, quod reverà fecit, intelligendo intra se
aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab eâ,
in qua fecit vel quodvis aliud auditum verum, reve-
ra non mentitur, nec est perjurus, 27. causa justa
utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium vel
utile est ad salutem temporis, honorem, res familiares
tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita
ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & stu-
diosa. 28. qui mediante commendatione vel munere
ad Magistratum vel officium publicum promotus est,
poterit cum restrictione mentali prestare Juramentum,
quod de mandato regis à similibus solet exigi, non ha-
bitore spectu ad intentionem exigentis, quia non tene-
tur fateri crimen occultum; in quibus propositioni-
bus licet tantum fiat mentio de restrictione mentali
in amphibologiis sive æquivocationibus cum Jura-
mento, tamen etiam reprobant restrictionem men-
talem sine Juramento, ut constat ex censura pro-
positionis 26. ubi damnatur, & quod non mentia-
tur, & quod non sit perjurus, imò ex iis verbis: ne-
que est perjurus, sufficienter declaratur restrictio-
nem mentalem esse mendacium, cum in perjurio
includatur mendacium. Deinde damnant hæc pro-
positiones amphibologias, & æquivocationes for-
 males

males, ut patet ex particula ; propositionis 27. *his* subintelligendo scil. quæ fiunt cum restrictione purè mentali, sic enim amphibologiæ sunt intrinsecè malæ, adeoque non potest dari justa causa his utendi, & consequenter occultatio veritatis per has facta nunquam potest censi expediens & studiola.

Dixi: amphibologias & æquivocationes formales: quia amphibologiis purè materialibus ex gravi & rationabili causa licet uti; sunt autem amphibologiæ materiales, quando audiens ex circumstantiis intelligere potest & debet, quod proferens in alio sensu, quam verba videantur facere, loquatur, ut vel assensum suum alteri sensui præbere, vel suspendere debeat, & tales amphibologias esse licitas, probatur exemplo Christi, qui talibus usus fuit, ut Mar. 13. v. 32. *de die illo nemo scit, neque Angeli in celo, neque Filius, nisi Pater*, Joan. 7. ubi Christus dixit se non ascensurum ad diem festum & tamen ascendit. Item Jacob Genes. 27. amphibologia usus est, dum dixit se esse Esau, Angelus Raphael Tobix 5. v. 18. dum dixit *ego sum Azarias Anania magni filius*; nam hoc verbum Azarias significat auxilium domini, & verbum Ananias significat nubem, per nubem autem juxta Sanctos Patres denotatur pater æternus; unde sensus verborum Angeli fuit: *ego sum auxiliator à Deo filius adoptivus æterni patris*; his amphibologiis purè materialibus sine restrictione purè mentali uti licitum est, imprimis in hoc casu, in quo talis amphibologia necessaria est, quando scilicet Confessarius interrogatur de peccato in confessione Sacramentali audito; tunc enim audacter potest respondere: *nescio sive non scio*, sumendo verbum scio in propria significatione, in quâ significat scientiam evidentem ex præmissis aut ex oculari

in-

inspectione, qualem non habet Confessarius, adeoque non mentitur, vel sumendo verbum: scio pro scientia comunicabili vel utili ad respondendum, vel sumendo verbum nescio juxta S. August. tom. 4. lib. 83. questionum Q. 60. secundum quem nescire quisque dicitur, quod occultat: quia nempe alios nescire facit, *quod dictum est (inquit) nescire filium, sic dictum esse, quia facit nescire homines, id est non prodit eis, quod inutiliter scirent*, vel sumendo illud verbum non scio juxta intentionem interrogantis, *quia (inquit S. Th. in 4tum dist. 21. Q. 3. A. 1. Quæstiunculâ 1. ad 2.) debet estimare, quod intentio precipientis sit, si sciat ut homo*; adeoque per verbum: non scio; respondet: non scio ut homo: sed quid si sceleratus instet, & urgeat Confessarium, ut edicat, an non audiverit illud peccatum in confessione? sine mendacio tutò respondebit: non audivi, per quod intelligitur: non audivi ut rem tibi manifestabilem, non audivi per notitiam utilem ad respondendum, non audivi ut homo, quia tua intentio esse deberet me interrogandi ut hominem; similiter qui novit occultè delictum infame alterius, quod jure naturali tenetur occultare, desuper interrogatus, potest licitè respondere per verbum, nescio, iisdem modis ac Confessarius, excepto 4to qui est Confessario proprius; deindè talis poterit uti circumlocutione, dicendo: optarem utique id scire, ut tibi respondere & satisfacere possem, quo pacto neque affirmat neque negat se id scire, hoc tamen modo circumlocutionis Confessarius uti non potest, ob suspicionis periculum; iterum eisdem omnibus modis ad respondendum uti potest secretarius inquisitionis obstrictus Juramento ad servandum secretum, undè potest dicere: nescio: nempe ut privatus homo.

Secundo : adultera interrogata de aulterio , occidenda si fateatur , potest sine restrictione pure mentali respondere per verbum æquivocum scil. non violavi fidem , nempe prout significat credulitatem vel fiduciam ; non fidem conjugalem , deindè dicendo : non vulneravi tuum honorem ; vulnus enim propriè in honorem non cadit. Denique si sacramentaliter à delicto est absoluta , dicendo , se esse ab eà culpa immunem aut non esse ream , sed hoc 3tio modo non potest licitè respondere cum Juramento sed tantum sine Juramento , quia ad simplicem affirmationem sufficit probabilitas facti , ad Juramentum verò requiritur certitudo : non autem habet certitudinem , quamvis habeat probabilitatem de remisso peccato , simili modo non cum Juramento posset dicendo se non esse ream , si sacramentaliter sit absoluta , aut alio æquivoco verbo filia post fornicationem commissam à patre interrogata respondere , si ab eo graviter affligenda esset.

Tertio : famuli & famulæ quæ jubentur negare existentiam domini sui in domo , excusari possunt , si requirentibus dominum suum dicant : dominus meus non est domi vel egressus est domo , quia per illa verba non est domi &c. ex circumstantiis & juxtà communem consuetudinem intelligi potest , quod dominus non admittat alloquium vel quod se separaverit à consortio , ideoque non intercurrit mendacium. Simili modo si quis , ne expressè mutuum negando alterius offensam incurrat , petenti mutuas pecunias respondeat , se non habere , excusari potest à mendacio tam formali quam palliato sive restrictione pure mentali , imprimis : quia potest alius responsionem intelligere juxtà interrogacionem & ad mentem postulantis , iste enim non postulat eas , quæ alteri sunt necessariæ , sed solum
postu

postulat ultra necessarias, undè si ille à quo postulantur, indiget illis, cum veritate dicit se non habere. Deindè in illis circumstantiis illa vox: non habeo: ex communi intelligentia significat: non habeo ad mutuandum. Denique evadere potest mendacium sine restrictione mentali per circumlocutionem dicendo: optarem me habere pecunias, ut te possem juvare, de similibus casibus similiter est judicandum.

Q. Quid respondere possit, qui cogitur ad solvendam Gabellam evidenter injustam, & coram iudice sistitur ad declarandum, quantum vini, frumenti, olei, aliarumque mercium habeat?

R. Si tantum habeat 30. vel 20. amas aut maldera frumenti, ex quibus tenetur Gabellam justam solvere, supposito quod interrogetur in ordine ad injustam gabellam, etiamsi plura habeat, tamen potest dicere se habere tantum 20. vel 30. dicit enim verum ad mentem interrogantis, qui solum interrogat aut interrogare debet de illis, ex quibus tenetur gabellam solvere.

Ex dictis Colliges: Quod quævis locutio, quæ in circumstantiis, in quibus profertur, verum sensum facit, licet absolutè voces illum sensum non habeant & per accidens audientis eum non percipiat, excusetur à mendacio, v. g. quando quis, cui apponitur vinum insipidum, tamen urbanitatis gratia illud laudat, dicens: esse bonum: intelligendo de bonitate transcendentali, vel bonum ad mortificationem exercendam; aut quando viri spirituales mortificationis studiosi, dum invitantur ad cibi & potus saporis delicias dicunt: Istum cibum aut potum nocere valetudini suæ nempe spirituali: hoc est perfectioni, aut quando morbi doloribus afflicti respondent se benè valere scilicet quoad robur Spiritûs; similiter excusantur à mendacio illa, quæ
homi-

homines urbanitatis gratia, tamen sine executione, dicere consueverunt: scilicet: osculor manus tuas, provelvor ad pedes tuos, sum servus tuus, de omnibus, quæ domi meæ sunt, habes disponere, & alia hujusmodi; nam ut amphibologicæ æquivocationes à mendacio excusentur, possunt attendi omnes circumstantiæ loci, temporis, personæ loquentis & cui fit locutio, in quantum ad aliquid significandum determinantur, semper tamen debet urgens & prudentis arbitrio sufficiens esse causa similibus æquivocationibus utendi, aliàs ob periculum deceptionis alterius, non licet promiscuè uti similibus amphibologiis, nisi quando datur justa causa occultandi veritatem, quâ datâ adhuc attendendum est, ut circumstantiæ in quibus fit locutio, de se possint cum verbis facere veram significationem audienti, quam si ipse ex inconsideratione aut alio defectu non percipiat, adeoque decipiatur, ipse sibi imputet, alias cessante justâ causâ occultandi veritatem propter societatem & communicationem inter homines servandam utendum est verbis, quæ simpliciter manifestant veritatem, juxta illud Christi Domini: Est, est. Non, non.

Q U Æ S T I O I V.

De Simulatione.

DICO: *Omnis simulatio est peccatum.* S. Th. hic Q. III. a. i. in O.

Probatur: Ad virtutem veritatis pertinet, ut quis se talem exhibeat exterius, qualis revera est, rerum autem signa exteriora non sunt tantum verba, sed etiam facta; sicut ergo veritati opponitur alium se ostendere verbis quam reipsâ sit, sic æquè contrariatur veritati, per signa factorum seu rerum significare contrarium ejus, quod est in homine, & hæc exhibitio est simulatio strictè sumpta, simulatio vero latè sumpta est quæcunque

cunque fictio; attamen non omnis fictio mendacium est, non enim (inquit S. Aug. lib. 2. QQ. Evangel. cap. 51.) omne, quod fingimus, mendacium est, sed quando id fingimus, quod nihil significat, tunc est mendacium, cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis, per quæ exponit S. Pater illud Luc. ult. de Christo Domino fingente se longius ire, quia composuit motum suum quasi volentis longius ire ad figuratè significandum, quod longè esset ab eorum fide, & cum longius recessurus esset ascendendo in cælum, per hospitalitatem quodammodo retinebatur in terrâ.

Dices 1. Christus hoc modo fingendo se longius ire præbuit discipulis causam erroneè judicandi quod esset longius iturus.

R. Non dedit causam ad illud iudicium sed illud permisit verè autem hoc motu & gressu corporis voluit in eis hospitalitatis affectum excitare; assumere autem aliquid verum, ex quo alter sumit occasionem errandi, non est formalis sed tantum materialis simulatio sic Josue simulavit metum & fugam Jos. 8. non falsitatem rebus aut factis significando, sed verè recedendo sicut fugientes recedere solent.

Dices 2. David verè formaliter simulavit quando 4. Reg. 21. coram rege Achis finxit se amentem. Nec in eo reprehenditur in sacrâ scripturâ. Jehu quoque simulavit se adoraturum Baal.

R. Ad 1. quod secundum S. Th. loc. cit. ad 2. simulatio Davidis fuerit figuralis. Deinde David talem insani personam assumendo tantum occultavit ob gravem causam suam personam non verò positivè induxit regem in opinionem, quod insanus esset, sed illam tantum permisit, unde etiam in sensu litterali probabiliter à simulatione formali ex usari potest.

Ad 2. R̄det S. D. *Simulationem Jehu non est necesse excusari à peccato vel mendacio, quia malus fuit, utpote ab idololatriâ feroboam non recedens: commendatur tamen & temporaliter remuneratur à Deo, non pro simulatione, sed pro zelo, quo destinxit cultum Baal.*

Differt hypocrisis à simulatione juxtà S. Th. hic a. 2. quod omnis hypocrisis sit simulatio, non tamen omnis simulatio sit hypocrisis, est enim hypocrisis simulatio, quâ simulat quis personam alterius v. g. viri justî, cum sit egregius peccator, hypocrisis per se opponitur veritati, cum per signa exteriora aliter rem manifestet ac revera est, per accidens tamen & indirectè secundum intentionem diversorum finium pluribus aliis virtutibus repugnare potest: hypocrisis est peccatum quandoque mortale, quandoque veniale; mortale est, quando quis veram sanctitatem contemnens, ac in peccatis perseverare volens, ut placeat hominibus, sanctitatem simulat, quales erant pharisæi graviter à Christo reprehensi. Aut si quis etiam sine sanctitatis contemptu ob finem mortaliter malum v. g. ut hæreses disseminet, indignus beneficium obtineat, sanctitatem simulat. Aliàs si sine sanctitatis contemptu simulet sanctitatem, quam non habet, vel majorem eâ, quam habet, regulariter est tantum peccatum veniale.

Q. 1. Quid & quale peccatum sit jactantia?

R̄. Jactantia est, quâ homo se verbis extollit, quod fit vel loquendo de se supra id, quod homines de ipso opinantur, quod tamen revera in ipso est, & hoc si fiat in debitis circumstantiis, omni culpâ carere potest, vel fit extollendo se supra id, quod secundum rei veritatem in ipso est, & hoc vitium propriè dicitur jactantia, & est peccatum mortale, si jactaret aliquid proferatur contra Dei gloriam vel ad gravem proximi contemptum: quia tunc contrariatur charitati,

vel

vel ob finem mortaliter malum, extra hos tamen casus aut si ordinetur ad finem leviter malum, est peccatum veniale.

Q. 2. Quid & quale peccatum sit ironia?

R. Ironia contingit, quando quis minora de se dicit, quam sint in se ipso, quod si fiat dicendo minora & tacendo majora, quæ tamen quis in se esse cognoscit, non est peccatum, si quis verò de se ipso dicat minora mentiendo & negando positivè, quod in se magnum est, vel vitiosum quid in se revera non subsistens de se pronuntiando, sicque adeo declinando à veritate tunc est ironiæ peccatum oppositum veritati, intra suam lineam præcisè est peccatum veniale, sed per accidens ratione finis vel damni proximo illati potest esse mortale, est etiam secundum se levius peccatum, quam sit jactantia: cum jactantia ut plurimum procedat ex turpiore motivo scilicet ex appetitu lucri vel honoris, ironia vero ex hoc, quod fugit, licet inordinatè, per elationem aliis gravis esse.

Dices: Ironia non est peccatum quia S. Greg. in Epist. ad August. Cantuariensem Episcopum dicit: *Bonarum mentium est, etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est.* Per ironiam autem agnoscitur culpa ab eo, qui culpam non habet.

R. Quod S. Greg. notanter dicat ubi culpa non est, non verò, ubi agnoscunt culpam non esse, ad significandum quod in obscurioribus rebus sæpe timorati timeant culpam, cum manifestum non sit, illas esse sine culpâ, quod ad vitium ironiæ non pertinet, sicut pertineret si quis diceret culpam esse, quod agnoscit culpam non esse.

